2

PRINCEPS
in
Compendio,
hoc eſt,
PUNCTA
aliquot compendioſa,
quæ circa Gubernationem Reipublicæ
obſervanda videntur;
à
PRINCIPE
quodam Summo,
jam piè defuncto,
ante quadraginta, & quod excurrit,
annos delineata;
nunc autem
juxta Exemplar, olim Viennæ
Auſtriæ anno 1668.
typis Matthæi Coſmerovii,
Typographi Cæſarei, excuſa,
ob ſuam præſtantiam & raritatem recuſa.

Proſtat,
Francofurti ad Mœnum & Lipſiæ,
in Officina Zunneriano - Jungiana.

Offenbaci ad Mœnum,
imprimebat *Bonaventura de Launoy,*
Typographus Aulicus, 1714.

Digitized by Google

Digitized by Google

Illuſtrisſimo & Excellentisſimo
Comiti ac Domino,
DOMINO
MELCHIORI FRIDERICO,
Sacri Romani Imperii
COMITI
DE
SCHÖNBORN,
Bucheimb & Reichelsberg,
Domino in Weiler, Heuſenſtamm
& Martinſtein,
nec non
Domino in Zellersdorff, Muhlburg &
Aſchersdorff,
Superioris & Inferioris Circuli Auſtriaci
Equiti Digniſſimo,
Archi-Epiſcopatus Moguntini Archi-Pincernæ,
Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Conſiliario Intimo,
Camerario,
& nunc temporis,
Commiſſario apud Mœno-Francofurtenſes
Meritiſſimo,
Domino meo Gratioſiſſimo,
&c. &c. &c.

)(2 ILLU-

ILLUSTRISSIME
ac
EXCELLENTISSIME
COMES
&
DOMINE,
Domine Gratioſiſſime.

QUi oculis *Tuis* hic ſe præſentat & novo hoc ſchemate ornatus dulces ſibimet amplexus Tuos exoptat libellus, parvus quidem mole videtur, cujus ſingula tamen verba ſingula pondera, ponderanti illa & penitius ruminanti; quò utique & Te anniſurum,

quam-

quamprimum tantum inter tanta negotia otii Deus fecerit, eò confido certius, quò proniori Te in literariam rem ſtudio ferri per eruditum orbem eſt decantatius; ſtudio ſanè paucis, in pari Tecum faſtigio præſertim conſtitutis, & non niſi iis imitabili,

quorum de meliori luto fecit præcordia Titan;

Ut mirum adeò non ſit æternitatis marmori Nomina Tua jamjam inſcripta., & læta Virtutum Tuarum Trophæa in Apollinis fano ad ſeræ Poſteritatis exemplum pomposè appenſa ſuſpici, ſecundum verum illud πολυθρύλλητον·

Dignum laude Virum Muſa vetat mori.

Inſcribitur Tractatus: *Princeps in Compendio.* Nomen hîc & omen. Tàm paucis quippe quàm multa! ut vix concentratior vis delituerit in parva illa piperis doſi, quam Alexandrum Magnum, exigui exercitus ſui virtutes elaturum, oppoſuiſſe perhibent Artaxerxi, militum ſuorum numeros aliquot papaveris modiorum præſentatione vane crepanti; numeros, inquam, quippe qui parum inſtructi rectius ingeminare poterant:

*Nos numerus ſumus fruges conſume-
re nati,*
. . . *prætereaque nihil.*

Indulgebis proin, *Gratioſiſſime Domine*, & quidni clementer indulgeas, ut in ſinu gaudeam, rem adeò gratam *Tibi* memet hîc feciſſe facili augurio vel inde prævidens, quod non trivialis ingenii hic partus extiterit, ſed genuina Summi νῦν ἐν ἁγίοις Principis ſoboles, forte fortuna ſuperſtes, ut vel ſola Glorioſiſſimam Auguſtiſſimi Parentis memoriam ad ultimos Nepotes transplantare apta nata fuerit; LEOPOLDI I. ſcilicet (ſi dicere fas eſt, quod non proletariæ fidei ajunt plurimi) Invictiſſimi, dum viveret, Romanorum Imperatoris, Arte & Marte Potentiſſimi, Turcarum Terroris, Galliarum Domitoris, nunc cœlitus æternùm Triumphantis. cujus Majeſtaticam (liceat ὀνοματοποιεῖν in Sanctitatis charactere ineffabili) Gratiam *Illuſtriſſima SCHOENBORNIORUM*, i. e. *Tua* Familia tot præclarè geſtorum myriadibus jam dudum ita promeruit, & adhuc tum promerere ſatagit, ut non univerſam modò Sacri Imperii

Comi-

Comitum Albo adſcripſerit, ſed etiam, quemadmodum JOANNEM PHILIPPUM quondam, ſic hodie LOTHARIUM FRANCISCUM, Patriæ Patrem, Germaniæ Atlantem, utrumque Veſtratem, Archiepiſcopalis & Electoralis Moguntinæ Sedis Primariæ Antiſtites dederit ſuâ laude majores, communi omnium plauſu, tamque fauſto omine, ut Cæſareorum radiorum jubar hoc, Duce ejus *Juſtitia*, *Pietate* traduce, in Sacroſanctam Filiorum Succeſſorum Bigam, JOSEPHUM I. nuper admodum, & CAROLUM VI. jam tum Sceptra glorioſè moderantem, transfudiſſe viſus fuerit, ut majora ſubinde, *Tibi* præcipuè, exin incrementa, ſi quidem pergis, ut omninò pergis, facile promiſerit, & in anteceſſum gratulatus fuerit bonus quilibet.

Neque verò hoc conſilio *Ideam hanc* offero, ut gerendorum normæ inſtar *Tibi* inſerviat, cujus ſumma Prudentia & Dexteritas, propria tum indole, tum quotidiano rerum uſu ac experientia firmius firmiusque munitæ, cunctis ſe ita probaverunt, ut vel ipſe Livor annuat, & ne Carneades quidem de iis amplius dubitaverit; ſed ut politiſſimi ſpeculi vice ſit, ex quo Virtu-

tum Tuarum, i. e. *Tui* ipſius γνήσια exempla recognoſcas, ad quorum aſpectum, ceu vivam Bibliothecam, ceteri tutius informentur, quàm ſi multorum Magiſtrorum centurias curarint

Nocturna verſare manu, verſare diurna.

Denique, ô ter me beatum quaterque, qui ſic inveni, non quod pueri in faba, occaſionem, inquam, fronte capillata arripiendam citò citius, *Tibi* Clientulorum Mecænati Optimo Maximo me reculasque meas ſat anguſtas domi ſupplici genu, ſicut hisce fit, commendandi, quem proin DEUS ſervet, & Gratiarum Tuarum Umbone protegi jubeat,

Illuſtrisſime & Excellentisſime Comes,

Dab. Offenbaci ad Mœnum,
d. 25. Sept. 1713.

Servulum ſubjectisſimum,

Bonaventuram de Launoy,
Naſſovicæ ac Yſenburgicæ
Aularum Typographum.

Ordo

Ordo Materiarum hîc contentarum.

Præfatio ad Principem Lectorem, pag. 1.

Punctum I.

Quomodo cum Deo ſe Princeps gerere debeat. p. 3.

Punctum II.

De cultu divino promovendo. p. 6.

Punctum III.

De Conſiliariis, & quæ circa conſilium occurrunt. p. 10.

Punctum IV.

De Juſtitia & Clementia Principis. p. 18.

Punctum V.

De Oeconomia & Liberalitate Principum. p. 22.

Punctum VI.

De affabilitate, gravitate & auctoritate Principis. p. 26.

Punctum VII.

Quomodo ſe habere debeat in Judiciis & ceteris Conſiliis. p. 30.

Punctum VIII.

De corruptela prohibenda in Republica. p. 35.

Punctum IX.

De vitiis in Republica reſecandis. p. 39.

Punctum X.
De Intimo Principis. p. 41.
Punctum XI.
De liberaliore Bonorum & opum in ſubditos collatione. p. 44.
Punctum XII.
De Exactionibus, & ne ſubditi iis nimiùm graventur. p. 49.
Punctum XIII.
De Adulatoribus. p. 52.
Punctum XIV.
De frequentandis Conſiliis. p. 55.
Punctum XV.
De Audientiis, Lectione & Subſcriptione Literarum, & ſimilibus. p. 62.
Punctum XVI.
Ut Reſolutiones maneant in ſecreto. p. 68.
Punctum XVII.
De Recreationibus Principis. p. 71.
Punctum XVIII.
Quomodo ſe Princeps habeat cum Vicinis. p. 74.
Punctum XIX.
De Principis Conſtantia & Animi Fortitudine. p. 75.
Punctum XX.
De Educatione Liberorum Principis. p. 78.
Punctum XXI.
De Rebus Bellicis. p. 82.

AUCTORIS
Præfatio ad Principem Lectorem.

HAbes, *Princeps*, in compendio hoc & pauca, & multa: pauca, in brevitate opuſculi; multa, in ma-

gnitudine materiæ. Lege, ſæpiusque perlege hæc pauca; ſequere & adimple hæc multa, atque feliciter rege & guberna; quod tibi à Rege Regum enixè precor & opto.

PUNCTUM I.

Quomodo cum Deo ſe Princeps gerere debeat.

CUm Deus omnipotens per ſacras Literas dicat: *Per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt*; certum eſt Principem ab ipſo conſtitutum eſſe, ut populis gentibusque regimine præſit. Ideo ante omnia neceſſe eſt, ut eundem Deum, à quo munus iſtud accepit, ante oculos ſibi ponat, & nihil contra mandata ejus agat, nec *unquam* ab ejusdem voluntate recedat.

Digitized by Google

Sapient. 6. *Audite ergo Reges, & intelligite, diſcite Judices finium terræ, præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data eſt à Domino poteſtas Vobis, & virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra & cogitationes ſcrutabitur: quoniam cum eſſetis miniſtri Regni illius, non rectè judicaſtis legem juſtitiæ, neque ſecundùm voluntatem DEI ambulaſtis.*

Atque idcircò Principi in regiminis ingreſſu à Deo incipiendum eſt, gratias eidem agendo pro dignitate ſibi collata, & opem implorando, ut defectum ſuum ex humana fortè fragilitate ortum divina manus ſublevet; vires, robur, & ſapientiam concedat ad populos ſibi concreditos ita regendos, ut honor Dei,

Dei, proprium Principis officium & ſubditorum ſalus requirit. Ita ſapientiſſimus Regum Salomon oravit & obtinuit, *lib.* 3. *Reg. cap.* 3. Proponet etiam ſibi firmiter ſe ex ſua parte nihil intermiſſurum, quod ad eundem finem aſſequendum utile erit atque idoneum. Et hoc propoſitum ſæpius in anno renovabit. Deo enim Ductore, Magiſtro & Auxiliatore facile Regimen futurum erit.

Juſtinianus Imp. in Concept. Digeſt. *Deo auctore noſtrum gubernante Imperium, quod nobis à cœleſti Majeſtate traditum eſt, & bella feliciter peragimus, & pacem decoramus, & ſtatum Reipublicæ ſuſtentamus, & ita noſtros animos ad Dei Omnipotentis erigimus adjutorium, ut neque armis confi-*

 damus,

damus, neque noſtris militibus, neque bellorum Ducibus, vel noſtro ingenio. Sed omnem ſpem ad ſolam referamus ſummæ providentiam Trinitatis.

Denique in negotiis gravioribus & magis arduis non intermittet ſpecialiter ad Deum recurrere, atque eadem viris piis & religioſis in preces & ſacrificia commendare.

PUNCTUM II.

De cultu Divino promovendo.

BOnus Princeps animum ſuum ſemper & primario ad DEI cultum & honorem ante omnia promovendum intendet: Ac primo quidem ſedulo curabit, ut Religionem Catholicam,

licam, ubi ea fuerit, ſartam tectam conſervet, et magis magiſque promoveat, ac nullas hæreſes illabi patiatur.

Theodoſius & Valentinianus Impp. *Inter cæteras ſolicitudines, quas amor publicus pervigili nobis cogitatione indixit, præcipuam Imperatoriæ Majeſtatis curam eſſe perſpicimus veræ Religionis indaginem: cujus ſi cultum tenere potueris, iter proſperitatis humanis aperies inceptis.*

Ubi verò illa non extiterit, in hoc incumbet, ut ſive manifeſtè, ſive occultè, ſeu quovis alio modo eandem introducat, & oviculas ſibi concreditas in unum ovile, & ſub unum paſtorem colligat.

Lactant. lib. 5. Inſtit. c. 8. *Ideo mala omnia rebus humanis quotidie ingraveſcunt, quia Deus hujus mun-*

di effector & gubernator derelictus eſt; quia ſusceptæ ſunt, contra quam fas eſt, impiæ Religiones.

Magna tamen hic diſcretione opus erit, ut in re tam ardua, & conſcientiam ſalutemque animarum attingente nec nimium, nec nimis parum agatur, quâ Ipſe & Conſiliarii ejus, adjuvante Deo, pro tempore & ſtatu rerum uti ſcient.

Secundo elaborabit, ut cultus divinus ac pietas in Eccleſia ſemper & ubique promoveatur; ad quod conſequendum congruum erit, ſi ſæpius & ipſe inquirat, quo modo res ſacræ ſe habeant; cum Paſtore in ſpiritualibus ſæpius correſpondeat & conferat, atque ubi defectum aliquem viderint, ſubitum remedium afferant.

Oſorius lib. 8. *Si Rex nihil habuerit ſtudio Religionis & Pietatis antiquius, nunquam erit divina ope & auxilio deſtitutus, & à Deo diſciplinam hauriet, quâ munus ſibi aſſignatum ſapienter obeat, & omnia negotia regni cum ſumma felicitate conficiet.*

Et licet quidem hoc in loco de reſectione vitiorum in Republica verſantium dicendum quid foret, cum & id ad honorem Dei ſpectare videatur, quia tamen poſtea de hac materia tractandum erit, ſic eo quoque diſcurſum hunc differimus, & nunc ad Politica progredimur.

(o)

PUNCTUM III.

De Conſiliariis, & quæ circa conſilium occurrunt.

PRo fundamento iſtud ponimus, ut, cum munus Principis ſit regere & gubernare alios, ad hoc ſemper attendat, & in hoc dies noctesque incumbat, quomodo ritè munus ſuum impleat, quo pacto ſubditis benè præſit, quo pacto ita ſe regat, ut bonus Princeps dici queat: atque ideo nihil otietur, ſed ſedulò & diligenter invigilet, ne quid in ipſo deſiderari poſſit.

Sed cum ſolus Princeps tantum onus ſuſtinere non valeat, neceſſe erit, ut habeat aliquos, qui ipſum ſublevent; atque hi ſunt

ſunt potiſſimum Conſiliarii intimi ſive ſecreti. Quorum cum multa ſint requiſita, ideò in illorum electione bene ei attendendum erit; nec ſubitò quemvis, qui officium illud prætendet, accipiet, ſed ſedulò prius de illius vita, moribus & experientia in negotiis inquiret.

Requiſita ergo boni Conſiliarii hæc ſunt: I. Ut ſit *vir timens Deum, & bona conſcientia.*

Oſorius lib. 8. de Reg. Inſtit. *Neceſſe imprimis eſt, ut Conſiliarii Regis Numen Dei cultu ſanctiſſimo, atque pietatis pleniſſimo venerentur: nec enim conſilium de rebus maximis inire poſſunt, niſi mentem habeant caſtam & puram, & ſplendore divino collucentem, & robore & conſtantia cæleſti confirmatam: quod totum eſt in ſanctiſſima religione poſitum.*

II.

II. Sit *maturæ ætatis.* III. *Vir doctus & in literis ac Juribus bene verſatus.* IV. *In negotiis omnibus bene expertus.* V. *Bonus Politicus*, intellige, *Chriſtianus, non Macchiavelliſta.* VI. Qui *non ſuccumbat paſſionibus, nec ullum reſpectum perſonarum aut rerum habeat.* VII. *Liberè loquens*, id eſt, dicat liberè, quæ ſibi dicenda videntur, & neminem in dando ſuo voto curet, nec ſi ipſum Principem à ſe offenſum iri putet.

S. Gregorius Nazianzen. *Trina ſunt, quibus pollere debet optimus monitor: Rerum uſus, ingens charitas, os liberum.*

VIII. *Taciturnus*; ut quæ audiverit in conſiliis, ita apud ſe, & in

& in pectore retineat, ac ſi muro vel trunco dicta fuiſſent. Væ enim conſilio, ubi nulla taciturnitas! IX. *Incorruptus*, qui nulla munera accipiat. X. *Non ſit Opinioniſta*, ut ajunt, ſive ſui capitis, ſed ubi viderit ſententiam meliorem, & rationes efficaciores, non inhæreat tenaciter propriæ opinioni, ſed etiam ſaniorum conſilia apprehendat, & ſequatur.

Tales Viros Princeps habere debet, cum talibus omnia, & ſecretiſſima quæque communicare, & conſilia eorum expetere poteſt, ſed magnâ illi diligentiâ in illorum electione opus erit, & perſonas bene noſſe debebit, ut tales accipiat, qui ad

hoc

hoc munus ſuſtinendum apti ſint.

Oſor. lib. 8. *Si igitur Reges fuerint horum hominum comitatu circumſepti, qui ſapientia, fide, virtute, religione, optimaque dicendi ratione præſtent, errare certè non poterunt.*

Quantus autem numerus eorum eſſe debeat, videtur quatuor, aut quinque, & ad ſummum ſex, & non plures eſſe debere, ob ſequentes rationes: I. Ob *confuſionem*, cum in magna multitudine plerumque unus alterum impediat, & multum temporis in colligendis Votis abſumatur, ut poſteà tot negotia expediri non poſſint. II. Propter *taciturnitatem*, cum impoſſibile ſit, in tanto numero

ro ſecretum obſervari. III. Ipſi quoque Principi grave eſt tot vota colligere, & omnia memoria retinere, ſed ſæpiſſimè in tanta multitudine perſonarum & diverſitate votorum Princeps ipſe confunditur, & in facienda reſolutione forſan etiam perturbatur.

Et licet communi adagio dicatur, plus vident oculi, quam oculus; reſpondetur tamen, quod quinque oculi Conſiliariorum, qui eas, quas diximus, habuerint conditiones, non viderint, nec decem, nec viginti, nec triginta viſuros.

Et quoniam de conſilio ſecreto jam tractamus, non abs re erit, aliqua adhuc in iſto loco

co attingere, quæ circa illud occurrunt. Et I. quidem de *Directore* conſilii ſecreti, quem nullum alium eſſe debere autumo, quam ipſum Principem, qui idem & vota colligat, & eadem reſolvat.

Tacitus primo Annal. *Ea eſt imperandi ratio, ut non aliter conſtet, quam ſi uni reddatur.*

II. Cum vota Conſiliariorum ſuorum collegerit, non erit neceſſe *pluralitati ſe accommodare*, uti in aliquibus conſiliis fieri ſolet: ſed quæ opinio melior illi videbitur, hanc eligat ac reſolvat, & ubi videbitur, emendet, ac propriam adjungat. Ubi verò in re ardua valdè magna votorum differentia extiterit, non præter rem foret, opinio-

opiniones de novo colligere, ut ſe eò meliùs & majore cum fundamento reſolvere poſſit.

Denique cum in hoc conſilio plerumque *Secretarii* adhibeantur, requiſita illorum primaria hæc ſunto: ut ſint *taciturni*, quod & nomen ipſorum fert, & *incorrupti*: plerumque enim vel per nimiam loquelam vel corruptelam Secretariorum ſecretiſſima quæque panduntur. Et ad hoc evitandum bonum erit, ſi, dum ſuſcipiuntur, juramentum corporale non tantum fidelitatis, ſed & ſecreti præſtent. Quod ipſum etiam in omnibus Conſiliariis obſervandum judico.

PUNCTUM IV.

De Juſtitia & Clementia Principis.

JAm verò quod ad ipſum Principem attinet, multa hìc de illius prudentia, juſtitia, pietate, clementia, liberalitate, magnanimitate atque aliis ſimilibus virtutibus dicenda forent; ſed quoniam hanc materiam plurimi, iique doctiſſimi & optimi auctores tractarunt, ideò brevitatis ſtudiô ea omittimus, & principaliora tantùm, quæ circa Principem, & ejus regimen occurrunt, paucis tantùm attingemus.

Princeps itaque ad hoc inprimis attendat, ut juſtitiam ſtrictè & exactè obſervet; quod potiſſi-

potiſſimum fiet, ſi omnibus *æquale jus* & *juſtitiam* adminiſtrabit, nullô perſonarum habitô reſpectu: ſed æquè ſit illi pauper & dives, ruſticus & Comes, amicus & inimicus.

Gregorius in Moral. *Judicare dignè de ſubditis nequeunt, qui in ſubditorum cauſis, ſua, vel odium, vel gratiam ſequuntur.*

Deinde ſit clemens, ſed cum moderatione; nam plerumque nimia clementia eſt incitamentum ad majora facinora; cùm enim ſubditi ſciunt Principem omnia paſſim, & graviſſima quæque ignoſcere, hâc nimiâ ejus lenitate & remiſſione freti, eò faciliùs in ſcelera ruunt, & ſæpè contra ipſum Principem inſurgunt. Denique ſi malum

non punitur, bonum opprimitur.

S. Gregorius lib. 2. in Job. *Miſcenda eſt lenitas cum ſeveritate; faciendumque quoddam ex utraque temperamentum: ut neque multâ aſperitate exulcerentur ſubditi, neque nimiâ benignitate ſolvantur. Sit itaque amor, ſed non emolliens; ſit rigor, ſed non exaſperans; ſit zelus, ſed non immoderatè ſæviens; ſit pietas, ſed non plus quàm expediat, parcens.*

Cedrenus in hiſt. Compendio: *Divus Iſidorus, qui aliquando diſcipulus fuit Chryſoſtomi, Principem, inquit,* benignum *eſſe oportet, &* terribilem: *ut qui rectè vivunt, rebus fidant: & qui mali ſunt, delinquere metuant. Nam ſi horum alterutrum abſit, non imperium eſt, ſed confuſio.*

PUN-

PUNCTUM V.
De Oeconomia & Liberalitate Principis.

SIt quoque Princeps bonus œconomus, & diligentem curam circa redituum ſumptuumque ſuorum diſpenſationem habeat: Et licèt omnes Principes ſuas, ut vocant, Cameras habere ſoleant, & in illis multos viros expertos in œconomicis negotiis; Præſidem quoque, qui conſilio illi præſit; quæ omnia ad hoc tantùm valent, ut res œconomicæ benè dirigantur, & reditus modo bono adminiſtrentur; hæc tamen omnia non ſufficère autumo, ſed ipſe Princeps invigilet.

Tacitus lib. I. Annal. de Auguſto: *Libellô, quem ſua manu conſcripſerat, opes publicæ continebantur; quantum civium ſociorumque in armis; quot claſſes, regna, provinciæ, tributa aut vectigalia, & neceſſitates, & largitiones.*

Ipſe ſit Præſes Præſidis Cameræ, ipſe rationes inſpiciat & inſtituat, quantum tempus & negotia patientur.

Plinius in Panegyrico Trajano dicto: *Aſſueſcat Imperator cum Imperio calculum ponere; ſic exeat, ſic redeat, tanquam rationem redditurus; edicat, quid abſumpſerit.*

Maximè autem ad hoc attendat, ut qui ad curanda Principis bona, ad exigendos redditus, telonia &c. conſtituti ſunt, non proprium, ſed Principis commodum quærant; atque

que ideò in electione talium perſonarum diligenti examine primò utetur, & deinde, quo pacto in commiſſo officio verſentur, ſæpiùs à non intereſſatis inquiret. Cum enim hoc fiet, & Conſiliarios attentiores, diligentioresque, & Miniſtros fideliores, & bono Principis magis invigilantes reddet, occaſionesque decipiendi ſubtrahet, & meliorem œconomiam inſtituet.

Sed ad hoc maximè etiam attendat, ut ſemper *bonam pecuniæ ſummam* in paratis, & in theſauro ſuo reconditam habeat; ſic enim ſuis reddet ſe amabilem, & hoſtibus formidabilem.

Non tamen tam ſtrictus &

diligens œconomus ſit, ut liberalitatem ſepoſuiſſe, & proſcripſiſſe quaſi videatur: hæc enim virtus Principem quemvis maximè decet.

Jovinian. Pontan. de Principe: *Qui imperare cupiunt, duo ſibi imprimis proponere debent; unum, ut ſint liberales; alterum, ut clementes. Princeps enim, qui liberalitatem exercuerit, ex hoſtibus amicos, ex alienis ſuos, ex infidis fidos faciet; peregrinos etiam, & in extremis terris agentes ad ſeſe amandum alliciet. Utràque autem Princeps Deo maximè ſimilis efficitur, cujus proprium eſt, benefacere omnibus, parcere delinquentibus.*

Cum moderatione tamen illâ utendum erit, ne profuſio dicatur: non det aliis tantum, ut ſibi ipſi auferat: atque ante omnia prius *debita exſolvat*, quàm

quàm munera ſuo ſtatui non neceſſaria largiatur.

Theodoricus Gothor. Rex apud Caſſiodorum: *Munificentiam noſtram nulli volumus exſtare damnoſam, ne, quod alteri tribuitur, alterius diſpendiis applicetur.*

S. Auguſtinus etiam prohibet, ne quid *ipſi Eccleſiæ detur* ante ſolutionem debitorum: nam plerumque pauperes opifices, viduæ, orphani, quibus debetur, & qui ſæpe nihil aliud habent, unde panem manducent, cum quod ſibi debetur, aliis donari vident, in cœlum voces ſuas extollunt, & ultionem divinam implorant. Unde graviſſimæ ſæpiùs pœnæ divinitùs immittuntur.

S. Jacobus in Epiſt. c. 5. v. 4. *Ecce mer-*

ces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabbaoth introivit.

PUNCTUM VI.

De Affabilitate, Gravitate & Auctoritate Principis.

INter cætera quoque, ad quæ Princeps attendere debet, hoc non eſt minimum, ut amorem & benevolentiam ſubditorum ſibi conciliet, eorumque animos ita ſibi devinciat, ut eum tanquam Patrem diligant, atque venerentur. Quod quidem variis ille modis aſſequi poterit.

Si benignus, ſi humanus, ſi legum curator, ſi omni curâ & cogitatione populi ſaluti ſtudeat & utilitati, ſi pro-

ſi propriam commoditatem à populi utilitate non ſecernat. Simanca.

Sed nos brevitatis cauſa, ut qui principaliora tantùm puncta, idque pauciſſimis, tractanda nobis propoſuerimus, plura, quòd ab aliis fusè tradita ſciamus, omittimus. Sed quia affabilitas & benignitas plurimùm hâc in parte valent, ideò has virtutes ſingulariter Principi commendamus.

Polyb. lib. 4. *Tantum benignitas Principum poteſt, ut non ſolùm cum ſunt præſentes, verùm etiam maximô intervallô disjuncti quoſdam quaſi fomites amoris & benevolentiæ in pectoribus hominum relinquant.*

Sit igitur Princeps comis, ſit affabilis, omnibusque ſuum

vultum

vultum benignum & benevolum præbeat, & interdum cum uno aut altero benignum aliquod verbum conſerat; nam incredibile eſt, quantam benevolentiam vel unicus benignus aſpectus, vel clemens unum à Principe prolapſum verbum apud ſubditos generet.

Non tamen *ita ſit affabilis, ut gravitatem omnino abjiciat*, ſed eam cum comitate permixtam habeat: ſicuti enim Principem à ſubditis amari, ita & timeri oportet, non tamen timore ſervili, ſed filiali.

Carol. Paſchal. lib. de Virt. & vitiis cap. 4. *In omnibus Reipublicæ moderatoribus, quocunque nomine cenſeantur, deſideratur illa reverenda & amabilis gravitas, ſine qua nulla dignitas*

dignitas intelligitur, nulla Majeſtas ſuſcipitur.

Ad hoc quoque Princeps maximè intendat, *ut auctoritatem ſuam ſartam tectam conſervet;* nulla enim alia re Princeps à ſubditis diſcernitur, quam hâc eâdem; per hanc & ab exteris cum reſpectu honorabitur, & à ſubditis cum amore timebitur: hâc ſublatâ, nec reſpectum, nec timorem, nec obſervantiam, neque obedientiam ab ullo habere poterit, ſed omnibus erit vilipendio; ut jam nihil dicam de diſcrimine amittendi & ipſum regnum.

Curtius lib. 6. *Nihil valet Regum poteſtas, niſi prius valeat auctoritas.*

(o)

PUN-

PUNCTUM VII.

Quomodo ſe habere debeat in Judiciis & cæteris Conſiliis.

QUoniam ad reipublicæ utilitatem & hoc ſpectat, ut officia publica, maximè judicum, & eorum, qui adminiſtrationi juſtitiæ vacant, minora quoque conſilia, idoneis perſonis inſtruantur, ideo Princeps ſummoperè attendat, *ut ſemper viros bonæ conſcientiæ, doctos & litteratos ad talia aſſumat,* qui munus ſuum ritè exequi, & juſtitiam rectô tramite adminiſtrare velint & poſſint.

Agapetus ad Juſtinianum: *Terrarum orbis à Deo cum concreditum tibi ſit regnum, cave ne aliquô utaris ex*

ex pravis ad rerum adminiſtrationem: quæ enim illi perperam fecerint, eorum rationem reddet, qui peccandi facultatem ipſis indulſerit. Magna igitur & diligenti cum perſcrutatione Magiſtratuum promotiones fiant oportet.

Nam cavendum maximè eſt, ne in hac re ad perſonarum accommodationem & proviſionem magis, quàm ad eorum habilitatem attendatur, unde poſteà Juſtitia maximè luat.

Cùm autem nunc temporis magna talium Virorum videatur eſſe penuria, ideò ut Princeps eò faciliùs idoneas perſonas habere & eligere poſſit, non erit abs re, ſi juventutem, jam ante diſciplinis litterariis & bonis moribus in ſcholis imbutam,

tam, paulatim ad minora conſilia & functiones minoris momenti adhibeat, ut ſic in unione Virorum doctorum & in negotiis bene verſatorum, creſcentibus annis, & cum iis, ſapientia & experientia, tandem tales ex iis Viros efficiat, quibus etiam in majoribus officiis progreſſu temporis uti queat. Mæcen. apud Dion. lib. 52. *Optimi atque egregii Principis eſt, non modo ipſe ut omnia ex officio agat, verùm ut qua ratione reliqui omnes quam optimi fiant, proſpiciat.*

Officium quoque Principis eſt, ſæpiùs & diligentiùs inquirere, quomodo in Republica res agantur, quomodo Miniſtri, quomodo Conſiliarii functionibus

ctionibus ſuis præſint, & officio ſatisfaciant.

Cicero ad Q. Fratr. *Parvi refert abs te ipſo jus dici æqualiter, & diligenter, niſi idem ab iis fiat, quibus tu ejus muneris partem aliquam conceſſeris.*

Maximè autem provideat, ne per hos viduæ, pauperes & orphani opprimantur; nam & de his coram Judice Deo Princeps rationem reddere debebit, & ſæpiſſimè fit, *ut plus peccet per Miniſtros ſuos, quam per ſeipſum.* Et ad id faciliùs aſſequendum bonum erit, ſi habeat Viros quosdam bonos & fideliſſimos, qui quandoque in ſummo ſecreto conſilia, judicia, tribunalia, curias viſitent, quomodo ſe res in guberna-

tione & adminiſtratione illorum habeat, diligenter inquirant, in ſecreto ad Principem omnia referant, ut prodeunte aliquô defectu maturum remedium adhiberi poſſit.

Lamprid. in Alexand. *De omnibus hominibus per fideles homines ſuos ſemper quæſivit, & per eos, quos nemo noſſet hoc agere; cùm diceret, omnes præda corrumpi poſſe. Pulcherrimè de hac re apud Dion. Mæcenas* lib. 52.

In hoc quoque incumbere debet, ut Miniſtris, Conſiliariis, Judicibus & aliis conſtitutô tempore *ſua ſemper ſalaria diligenter exſolvantur*; nî enim hoc fiat, in maximo verſabitur juſtitia periculo; multi enim ex talibus, cum parum

æris

æris poſſideant, nec ſalaria quidem ſibi debita habere poſſint, paupertate preſſi munera accipere, & per conſequens juſtitiam violare cogentur.

Platina de Vit. Pont. *Innocentius Sextus ſacri palatii auditoribus ſalaria inſtituit, ne muneribus corrumpi ob inopiam poſſent; dicebat enim, famelicos non facilè etiam ab alieno cibo abſtinere, ſi ſit oblata quôvis modô edendi facultas.*

PUNCTUM VIII.

De Corruptela prohibenda in Republica.

VÆ Reipublicæ, in qua corruptela viget! Hanc igitur reſecare penitus, & in munerum acceptores graviſſimè animadver-

madvertere Princeps debebit, quod & fecit Cambyſes.

Herodot. lib. 5. *Siſamnem Otanis Patrem, unum è regiis Judicibus, quòd injuſtè ob pecuniam judicaſſet, Rex Cambyſes interemerat, interemptoque detractum corium in lora conſcidit, quibus tribunal, in quo ille ſedens judicârat, intendit: ibidemque ejus filium Otanem ſedere Judicem præcepit, atque in memoria habere, in quo loco judicaret.*

Hoc enim vitium cauſa, fons & origo omnium malorum eſt, immò ſæpè ruina ipſius Reipublicæ.

Juſtinian. Novel. 8. in fin. præfat. *Eſt quoque hoc ſacrorum eloquiorum mirabile & verum, quod avaritia omnium ſit mater malorum: maximè, quando non privatorum, ſed Judicum inhæret animabus;*

mabus; quis enim ſine periculo non furetur? quis non latrocinabitur ſine reatu, in adminiſtratorem reſpiciens? Illum namque videns omnia auro vendentem, præſumet, quia quicquid egerit illicitum, hoc pecunias dando redimet. Hinc homicidium, & adulterium, & invaſiones, & vulnera, & raptus virginum, & commerciorum confuſio, & contemptus legum & Judicum; omnibus hæc venalia propoſita eſſe putantibus.

Impoſſibile eſt accipere munera ſine violatione juſtitiæ, ſine oppreſſione pauperum, pupillorum, aut viduarum: nam experientiâ quotidianâ conſtat, in eam partem ſemper trahere dona, unde veniunt, ſive ibi ſit juſtitia, ſive non.

Simanca lib. 6. *Ne accipias perſonam, nec munera: quia munera excæ-*

cant oculos ſapientum, & mutant verba juſtorum. Efficiunt enim, ut judices ita ſint affecti erga eos, qui munera mittunt, ut illis cauſa eorum appareat vel fovenda, vel excuſanda, vel toleranda.

Sed dolendum planè eſt, malitiam hominum jam eò progreſſam eſſe, ut & hoc ſcelus aliô prætextu tegere conentur, & ſub pallio amicitiæ, bonæ voluntatis, aut alio colore hancce munerum dationem & acceptionem abſcondi poſſe putent.

Ideò qui boni Principis nomen obtinere, & juſtitiam cum ipſa Republica conſervare, nec iram Dei in ſe provocare velit, ſeveriſſimè in munerum acceptores inquirat, & ſcelus hoc, divi-

divinis & humanis legibus prohibitum, debitis ſemper pœnis afficiat. Quo facto Princeps DEO ſummè placebit, Reipublicæ ſummum bonum, & juſtitiæ ſummum incrementum acquiret.

PUNCTUM IX.

De Vitiis in Republica reſecandis.

QUoniam ad bonam Reipublicæ adminiſtrationem ſpectat, ut vitia, quæ in illa vigent, reſecentur, ideò Princeps diligenter ſe informare debet, quæ maximè ſint in uſu, ut maturum iis remedium adhibere queat; præcipuè autem

luxuriam, adulteria, furta, homicidia, duella, blaſphemias in Deum & Sanctos, uſuras nimias, & luſus exceſſivos, è quibus plerumque multa alia vitia & mala naſcuntur, penitus extirpare ſtudebit, graves pœnas in hujusmodi transgreſſores ſtatuendo, ſi pacatam Rempublicam habere deſiderat.

Sæpiſſimè enim contigit integras Reſpublicas & regna graviſſimis pœnis, ut puta, fame, peſte, bello, & ſimilibus à DEO punita fuiſſe ob ſcelera à Principe non caſtigata.

Oſorius lib. I. de Reg. Inſtit. *Regis officium eſt, non ſolùm commodis patriæ & ſaluti conſulere, & hoſtium impetum à finibus regni magna belli contentione reprimere; ſed multò*

multò etiam magis reſecare libidines, coërcere petulantiam, iniquitatis & injuriæ fibras evellere, univerſamque Rempublicam honeſtatis ornamentis afficere, virtutumque omnium præſidiis firmare: Aliter enim neque Respublica beata, neque Rex officio ſuo ſatisfacere ullo modo poteſt.

PUNCTUM X.
De Intimo Principis.

SOlent aliqui Principes habere unum, quem ſibi ex omnibus deligunt, quem præ cæteris amant, cui ſe præ cæteris confidunt, cujus conſilia præ cæteris ſequuntur. Mihi quidem prohibendum non videtur, quin Princeps Virum aliquem gravem, expertum, & confidentem habeat, cui men-

tem ſuam patefacere, ſecreta aliqua, quæ forſan non omnes ſcire vellet, cum ipſo conferre, & conſilium quoque illius expetere poſſit: Sed non eſt res eò deducenda, ut in abuſum veniat. Conferat cum tali Princeps, communicet quæ vult, conſilium illius expetat, ſequatur etiam, ſi ita ſibi videbitur; ſed non ita ſe abjiciat, ut nihil ſine illius præſcitu reſolvere, nihil præter voluntatem & opinionem ejus agere, nil niſi conſilium ejus ſequi poſſe videatur. Quod ille approbavit, hoc bonum; quod rejecerit, hoc malum eſto.

Natal. Comes lib. 15. *Principes plerique hoc vitio laborant, ut quos amant, omnia vera conſilia ſuggerere*

rere credant; nihilque loqui ad propriam utilitatem.

Non ita ſe, dico, abjiciat, ut ipſum quaſi timere videatur, nec offendere, ne in minimo quidem, poſſit. Non permittat, ut omnes huc tantùm currant, hîc petant, hîc ſollicitent, hîc ſua proponant, & Principem ipſum prætereant.

Jovin. Pontan. de off. Princip. *Ut malè actum eſſet cum genere humano, ſi uni ſe Deus præberet exorandum: eódem modó malè cum Principum Regumque familiaribus, ſi in tanta multitudine uni locus fideſque ſit.*

Non permittat, inquam, ut unius Miniſtri ſpiritus in tantum ſe extollat; ſed ipſe auctoritatem ſuam conſervet & tueatur; talem autem in officio contineat, nec debitos limites excedere patiatur.

PUNCTUM XI.

De Liberaliore Bonorum, & opum in ſubditos Collatione.

EQuidem & hoc inter cætera ad bonam politiam atque Principis ipſius ſalutem pertinere autumo, ut Proceres regni non nimiùm attollat, non nimiùm elevet, ſed eos ſemper ita contineat, ne ſuperbiant, ne contra ipſum Principem inſurgant; non tollat eos nimiùm in altum potentiâ, opibus, honoribus.

Natal. Comes lib. 13. *Ut contingit in re medica periculoſum eſſe, nimis calefacere, refrigerare, implere aut evacuare: ita gratia Principis, ſi nimia cuiquam, aut repen-*

tè

tè concedatur, non æquis animis à cæteris ſubditis excipitur, ſed magno plerumque cum periculo & Principis, & gratioſorum, & ſubditorum.

Non conferat omnia in unum, ut poſtmodùm pluribus de Principe & Republicâ benè meritis non ſit facultas nec modus benefaciendi.

Non nego, quin æquum ſit, ut fideles & bene de Republica meritos dignè præmietur, honoribus quoque & dignitatibus atque opibus augeat; ſed mediocritate hîc, ſicut in rebus omnibus, opus eſt. Medium tenuêre beati. Non faciat ſibi correges, qui honoribus, & potentiâ ſuâ elati, loco gratitudinis, & gratiarum à Principe

cipe acceptarum, contra eundem inſurgant; & illum de Regali ſolio deturbent, uti ſæpiùs contigiſſe hiſtoriæ nos docent. Atque ad iſtud præcavendum, inter cætera media, hoc quoque non incommodum videtur, ſi officia præcipua, quæ aliquid Regiminis ſecum ferre videntur, non perpetua reddat, ſed certis annis & temporibus mutet.

Dionyſ. Halicarnaſſ. lib. 4. *Supereſt unum ad retinendos in officio ſummos Magiſtratus omnium, quæ hactenus memoravi, utiliſſimum: ut perpetuum non ſit, & cum vita demum finiendum Imperium; prægravis enim eſt omnibus Magiſtratus, cui nullum certum tempus præfinitum eſt, eòque ratio repoſcitur à nemine: unde Tyrannus naſci-*

naſcitur. Contrahenda igitur poteſtas; imperandi enim parendique viciſſitudo, & poteſtas, antequam corrumpat animum, relinquenda, reprimit ingenia faſtuoſa, nec ſinit inebriari licentiâ nimiâ.

Dio Caſſius lib. 52. *Iidem* (urbium & provinciarum Præfecti) *neque minus triennio, (niſi quis quid deliquerit) neque diutius quinquennio Magiſtratum obeant. Nam & annui illi Magiſtratus, ac pauco tempore circumſcripti, hoc habent, ut cum quis aliquid in iis addidicerit, prius decedat, quàm ejus ſpecimen exhibere poſſit; & diuturniora Imperia multos ad faſtum, ac tentandas res novas extollunt.*

Neque expedire judico, ut Princeps ad Provinciam aliquam in ſua abſentia regendam unum tantùm gubernatorem mittat,

mittat (niſi ſit ſui ſanguinis,) ſed deputet potius Conſiliarios aliquot, qui Provinciæ illi præſint, non cum abſoluta, ſed limitata poteſtate: nam ſi unus forſan inter hos improbus, cæteri probiores & fideliores erunt; efficientque, ut ille quoque ab improbitate ſua deſiſtere cogatur; Ut jam taceam, quòd ex tanta poteſtate uni ſoli datâ ſæpè fieri ſoleat, ut ſi is non contra ipſum Principem aliquid moliatur, ſaltem pauperes ſubditos miſerè divexet, & graviter torqueat & excruciet.

(o)

PUN-

PUNCTUM XII.

De Exactionibus, & ne ſubditi iis nimium graventur.

AD hoc quoque Principi ſingulariter attendendum erit, ne ſubditi, nec ab Ipſo, nec à Miniſtris, nec à Nobilibus nimiùm graventur. Et licèt Principi conceſſum ſit exactiones, tributa, & alia ſimilia ſubditis imponere, id tamen cum moderatione agendum erit: non exigat ſine cauſa, ſed expectet, donec *neceſſitas* aliqua urgeat & premat, & tunc ſubditorum opem quoque imploret.

S. Ludovicus Rex Galliæ in ſuo Teſtamento ad Philipp. filium: *Ne ſubditis*

*tuis tributa imperes, aut impo-
nas onera*, niſi neceſſitas urgeat, *teque manifeſta utilitas regni compellat; idque non ultro, ſed gravi de cauſa facias; ſi ſecus faxis, non Rex, ſed Tyrannus habeberis.*

Tantum verò *oneris* imponat, *quantum ferre* poſſunt: non unâ vice eos opprimat, ut poſteà vix reſurgere ampliùs, & ſuppetias ferre queant.

Dio Caſſius lib. 52. *Exactores porrò ubique locorum conſtituendi ſunt, qui ſingulis ſuæ functionis temporibus, ex omnibus reditibus, quantum par eſt, exigant, ita ut paulatim, ac certis ſpatiis ſubditi noſtri ea pendant, quæ debent, ac non aliquamdiu neglecti, poſt ſimul omnia poſcantur: & hæc res penſionem exſolventibus haud minimum commodi afferet, & exactoribus facilior erit ſui officii ratio.* Nam

Nam certò conſtat, ſi moderatè & manſuetè cum ipſis egerit, illos ſemper promptos ad hæc ſubſidia & paratos futuros.

Tacitus: *Injuncta Imperii onera impigrè obibunt, ſi vis & injuria abſint; has ægrè tolerant.*

Denique tondeat, non deglubat oves.

Et licèt ab *ipſo Principe* bene tractentur, curandum tamen erit, ne à *Miniſtris ſuis* aut *Nobilitate* opprimantur, & de hoc ſedulò inquirat, nec ita cruciari eos permittat. Videat quoque, ne in Cancellariis exactionibus nimiis pro expeditione litterarum & negotiorum graventur: nam ſi unâ

vice deſtruuntur, aliâ, cum Princeps indiguerit, juvare non poterunt. Denique ita ſe gerat erga eos, ut Pater, non Tyrannus dicatur.

PUNCTUM XIII.

De Adulatoribus.

PRincipis maximè intereſt, ut exactè noſcat eos, qui circa ipſum verſantur: & licèt multi fideles inter ipſos atque genuini, ut ajunt, Germanici cordis reperiantur, qui nihil aliud intendant, quàm commodum Principis; inveniuntur tamen multò plures, qui in nihil aliud invigilant, quàm in propriam utilitatem, ad quam obtinendam omnes vias

& mo-

& modos perquirunt. Atque hi maximè Principi placere ſtudent, omnes illius actiones approbant, omnia laudant, omnia, ut propriè loquar, adulantur: quod Principi placet, hoc bonum & licitum; quod diſplicet, idem malum & vetitum aſſerunt.

Oſorius lib. 2. de Reg. *O rerum publicarum peſtem atque perniciem! quicquid enim Reges cupiunt, quamvis id ſit nefarium, flagitioſum & impium, neque ſolùm Reipublicæ perniciòſum, ſed etiam omnibus ſanctitatibus adverſarium; id continuò per adulatores, quos in conſilium adhibent, eſt officium juſtum, & laudabile, & religioſum, & Reipublicæ ſalutare, & DEO gratiſſimum.*

Hi ſemper cantant unum

placebo, & quô Principem delectari vident, illud ſuggerunt; quô verò offendi judicant, illud tacent & diſſimulant. Denique nunquam verificis labiis ei loquuntur, ſed ſemper illud, quod libet, licet, in corde & ore circumferunt.

Franciſc. Sonnius lib. 5. demonſt. Relig. *Quæ mala non ſequuntur, quando Principi ſuadet adulator, quòd uti liceat plenitudine poteſtatis; quod ſit Dominus omnium; quod vectigalia, gabellas, tributa, & id genus alia imponere poſſit, prout libitum fuerit; quod generoſum ſit, bello ſe vindicare, bello virium ſuarum oſtentationem facere?*

Ab his talibus Principi velut à peſte fugiendum: hi tales exteriùs oves, interiùs verò lupi rapa-

rapaces; exteriùs amici, interiùs verò inimici ſunt pernicioſiſſimi, & qui Principem ſæpiſſimè ad caſum, perniciem, & regnorum ſuorum certiſſimam ruinam perduxerunt.

PUNCTUM XIV.

De frequentandis Conſiliis.

SI Princeps munus & officium ritè adimplere, & Rempublicam ita gubernare velit, ut nihil ex ſua parte intermiſiſſe dici poſſit, omnino convenit, immò neceſſe eſt, ut conſilia diligenter frequentet, & illis ſedulò interſit.

Simanca lib. 9. de Off. Princ. *Utiliſſimum eſt, ut Princeps conſilio frequenter*

quenter interſit, præſertim cum de arduis rebus agitur: nec enim ſatis eſt, ut decretum ei recitetur, quod nonnunquam plenè perfectèque non intelliget, niſi coram audiat diſceptari. Accedit hæc utilitas, cùm Princeps ipſe diſceptationibus intereſt, melius ſuorum cognoſcit ingenia, ac intelligit, quibus feliciter uti poſſit: & excitat in illis ſtudium, ut omnia diligentiùs ponderent & conſiderent.

Fiet etiam hâc ratione, ut negotia omnia, ſupplicationes, & alia quævis in Republica occurrentia, ſubitò & ſine mora ac lapſu temporis definiri, & expediri queant, ne ob cunctationem, vel potiùs pigritiam Principis, iſta ita cumulentur, ut poſteà, ſi non impoſſibile, ſaltem difficile ſit ea expedire.

pedire. Et ſic partes pauperculæ, denegatâ vel potiùs diu protractâ juſtitiâ & expeditione, juſtam conquerendi cauſam habeant.

Oſorius lib. 8. de Reg. Inſtit. *Quid laborum fuga facere admonet? Rem de die in diem differre, nihil tranſigere, nihil expedire: quid autem hâc tantâ ſocordia Magiſtratus aſſequitur? ut negotia negotiis accumulentur, ipſeque infinitis laboribus opprimatur.*

Antequam autem conſultatio & definitio alicujus rei, (de gravioribus loquor, & quæ difficilioris ſunt indaginis) ſuſcipiatur, conſultum eſſe judico, ut res illa Conſiliariis privatim prius legenda, & ſigillatim apud ſe conſideranda

mittatur, ut ſic, cùm res coram Principe conſultanda ac definienda proponitur, ipſi parati jam, & in negotio illo informati accedant. Fieri enim vix poteſt, ut in rebus hujusmodi, quæ poſt ſe trahunt magnas conſequentias, ex una ſola audita lectione, fundamenta cauſæ, & latentes ibi ſæpè difficultates ſubitò & unô quaſi intuitu penetrari ac perſpici posſint. Quin & hoc fieri poteſt, ut Conſiliarii ipſi priùs negotium illud inter ſe ſimul conſultent & bene diſcutiant, ac poſtmodùm coram Principe in pleno omnium conventu rurſus proponant, & mentem ſuam deſuper explicent: Sic enim

 eveniet,

eveniet, ut & Conſiliarii faciliùs ac ſolidiùs vota ſua dare, ac ipſe etiam Princeps firmiorem reſolutionem capere poſſit.

Cochier lib. 3. cap. 20. ex Ludovico Granatenſi: *Spatium deliberationi dandum, morâ quippe interpoſitâ, notiora tibi fiunt omnia, & certiora, ſic ut, quæ antea placuerint, ſæpius ex intervallo diſpliceant, id quod ipſa teſtatur experientia.*

Eò quoque Princeps ſua ſemper conſilia dirigere debet, ut ad omnem caſum, qui contingere poſſit, accommodata ſint; atque ideò non ſemper de præſenti ſolùm rerum ſtatu conſultandum, ſed ulterius eſt cogitandum, atque de futuris proſpiciendum, ut quæ poſt

tempus

tempus aliquod evenire poſſent, jam antea prævila, atque eò omnia directa ſint, ut ad quemvis caſum, ſubita & convenientia remedia afferri queant.

Cavendum inſuper, ne unquam cunctatio aliqua, aut prolongatio, negotiorum expeditioni afferatur, quod tunc facilè obtinebitur, ſi certa ſtatim dies aut hora, poſt privatam hancce inſpectionem à Principe pro pleno conſilio ſuper iſta re habendo indicabitur. Sunt enim plurima, quæ celerem expeditionem requirunt, & unicus ſæpè quadrans horæ neglectus & præterlapſus totum rei ſtatum mutare ſolet, & graviſſima

viſſima damna inferrè poteſt: Ideò celeritate quoque opus eſt, (maximè in rebus moram non patientibus) ſed non præcipitatâ; præcipitatio enim nunquam prodeſt. Immò ubi res arduæ tractantur, bene illæ conſiderentur, bene & ſæpiùs ad incudem revocentur, benè diſcutiantur, atque ubi matura ſemel reſolutio ſumpta fuerit, cum celeritate ad effectum deducantur, neceſſe eſt.

Saluſt. in Catilin. *Priusquam incipias, conſultò, & ubi conſulueris, maturè factò opus eſt.*

)o(

PUN-

PUNCTUM XV.

De Audientiis, Lectione, & ſubſcriptione litterarum, & ſimilibus.

PRinceps nemini auditum deneget, ſed patiatur, ut omnes ſuas ipſi neceſſitates proponere poſſint, ne denegatâ ſibi juſtitiâ conqueri queant.

Plutarchus: *Anui cuidam paupercula Philippum appellanti, ut cauſam ipſius cognoſceret, cùm hâc flagitatione frequenter illi obſtreperet, reſpondit, ſibi non eſſe otium; cùmque anus inclamaſſet, proinde ne Rex quidem eſſe velis, Philippus admiratus aniculæ liberam vocem, non illi ſolùm præbuit aures, verùm etiam alios audivit.*

Et licèt aliqui ejus opinio-

nis ſint, ut Princeps unum alterúmve diem in ſeptimana ad audientias reſervet publicè dandas, in quibus omnes à minimo ad maximum usque ipſius Principis perſonam adire, & ſua proponere poſſint; iſte tamen modus ob varias cauſas & reſpectus, quos brevitatis cauſa omitto, minùs mihi probandus videtur: ſed potiùs Princeps ſingulis diebus unam horam deputet pro audientiis, in qua Legatos à Principibus, Civitatibus & aliis Statibus tam exteris, quàm ſuis, item Nobiles, & hiſce ſimiles audire, & neceſſitatibus ſubvenire posſit.

Ne autem pauperibus & aliis

minoris

minoris conditionis & ordinis hominibus aditus & refugium ad Principem præcludatur, ideò concedi illis debebit, ut cùm Princeps *in publicum prodierit*, illum tunc accedere, ſupplicesque illi libellos porrigere, & in iis neceſſitatem ſuam patefacere, atque remedium ab illo petere poſſint. Quos libellos poſteà ipſe nullâ interpoſitâ morâ diligenter perleget, antequam eos ad expeditionem, aut relationem mittat, ut cùm ſibi poſtmodum eâ ſuper re expeditiones fuerint allatæ, vel etiam relationes factæ, ſciat, an genuinè ſingula referantur. Neque permittat, ut pauperculi à ſuis Miniſtris, &

quibus negotia illorum expedienda incumbunt, malè tractentur, & diu detineantur, ne in ipſum Principem, aliàs innocentem, culpa hujus rei conjiciatur.

Litteras quoque ſibi aliunde ſcriptas non diu apud ſe detineat, ſed brevi perlectas, ad expeditiones mittat, ut poſteà maturè deliberationes & reſolutiones capi posſint.

Ea quoque quæ ex Cancellaria aut aliis expeditionibus *ad ſubſcribendum* ad ſe pervenerunt, promptè expediat, nec diu apud ſe jacere patiatur: ſed hoc ſingulariter obſervet, ut nihil ſubſcribat, quod non prius perlegerit, & ita videat,

an ſubſcribenda reſolutioni â ſe factæ ſint conformia. Notum eſt argutum Pulcheriæ inventum, quo fratrem Theodoſium Imp. ab hoc errore revocavit. Quod ſi tanta litterarum & ſupplicum libellorum abundantia ſit, ut à ſolo Principe omnia perlegi non posſint, bonum foret, habere tunc ad manum perſonam unam ſive Conſiliarium fidelisſimum, qui ipſum tali caſu in lectione adjuvet, & lecta fideliter deinde referat.

Ante omnia verò ad hoc attendat, ut reſolutiones ab ipſo conceptæ, mandata ab ipſo ſubſcripta, leges ab ipſo ſancitæ, in effectum & obſervantiam

tiam

tiam deducantur: & ideò diligenter inquirat, an ei quod reſolvit, quod mandavit, quod ſanxit, obediatur: quid enim juvat, diu & prudenter ac diligenter conſultare, multa utiliter reſolvere, niſi & effectus ſequatur?

Juſtinian. Imp. Conſtit. 161. *Non tantùm decenter leges ferre ſummo bono eſt, ſed etiam ſancita accuratè cuſtodire, & ad effectum deducere, transgreſſoresque competentibus pœnis ſubjicere. Quæ enim legum erit utilitas, ſi in litteris duntaxat conſiſtant, non etiam per ipſa facta atque opera ſubditis utilitatem de ſe præbeant?*

(o)

PUNCTUM XVI.

Ut Reſolutiones maneant in ſecreto.

VIdeat Princeps, & ſedulò in hoc incumbat, ut ea quæ in conſiliis à ſe concluſa fuerunt, in ſecreto maneant, nec ante tempus erumpant.

Oſorius lib. 8. de Reg. Inſtit. *Eſt autem in conſiliis præcipuum fidei munus, quicquid ſecretò ſtatutum fuerit, ſilentio & taciturnitate comprimere. Si enim qui amici conſilium aperit, eſt odio omnium valdè dignus, quo tandem ſcelere illum alligari judicabimus, qui Regis conſilium contra fidem datam cum homine, qui non ſit particeps ejuſdem conſilii, communicaverit? Eſt Regis proditor, & patriæ everſor exiſtimandus.*

Nam

Nam frequenter contingit, ut partes intereſſatæ, immò ſæpè contrariæ & inimicæ, multò ante reſolutiones explorent ac reſciant, quàm publicentur, immo vix aliquid in conſilio concluſum ac definitum eſt, & ſubitò exterius ſcitur: quod tamen ſummoperè tam propter bonam politiam, quàm ob pericula præcavendum eſt; nam plurima inde mala & incommoda oriuntur.

Angelus Peruſinus *Hoſtes & prævaricatores illos appellat, qui ſecreta produnt, quod metu eorum Reipublicæ conſuli non poſſit; nam coram eis non ſunt libera ſuffragia: & præterea odia, diſſidia & inimicitias ſeminant.*

Cauſa autem hujus rei ple-

rumque inde venit, quod Conſiliarii ſæpè paulò liberiùs, &, ſi licet dicere, incircumſpectiùs loquantur, nec conſiderent, quid, aut cum quo, aut quibus circumſtantibus loquantur: Unde benè illis attendendum erit, ubi & inter quos agant, cum quibus tractent & conferant.

Inter cætera autem periculoſum mihi valde videtur, cum *mulieribus* multum de Reipublicæ negotiis conferre; cùm nec ipſarum ſit publicis rebus ſe immiſcere, & ſatis conſtet, ſexum hunc valdè infirmum eſſe, nec facilè arcana continere poſſe.

Michæas Proph. cap. 7. *Ab ea, quæ dormit*

dormit in ſinu tuo, cuſtodias clauſtra oris tui.

Uno denique verbo, ſecreti fides hîc requiritur.

PUNCTUM XVII.

De Recreationibus Principis.

CUm autem magnum onus ſit ſemper negotiis invigilare, toties conſilia frequentare, tot audientias dare, tot res legere, tot ſubſcribere, ut non tantum plurimæ horæ, ſed & integri dies, ac totæ ſeptimanæ, talibus occupationibus abſumantur, ideò convenit, ut Princeps etiam aliqua habeat, quibus ſe refocillare, ac tantos labores faciliùs ſufferre poſſit.

Plutarch. in moralib. *Lyram & arcum remittimus, quò meliùs poſſint tendi; ita recreandus eſt otio animus, ut ad labores reddatur vegetior.*

Sint autem recreationes honeſtæ, ſint Principe dignæ, ſint tales, quæ animum oblectent, & corpus parumper exerceant, mentemque à ſeriis illis cogitationibus abſtrahant.

Et licèt multi variis delectati fuerint, mihi tamen videtur, Principem hiſce ſequentibus ſe recreare poſſe: 1. Venatione cum moderamine, ne ſit labor, ſed delectatio. Deinde haſtiludiis, & aliis equeſtribus ſtudiis, ut ſunt exercere equos, currere ad annulum, jaculari ſclopis, & id genus

alia;

alia; Muſicâ quoque animum exhilarare & curas pellere poteſt. Item ſi quam fortè artem mechanicam addidicerit, in ea ſe exercere & oblectare poterit, ut ſic revocato hisce rebus ad quietem animo, aptior poſteà ſit ad labores publicos perferendos; ita tamen hæc ſumat, ne nimium ſe illis det & immergat: incredibile enim eſt, quantum venatio & aliæ recreationes hominem capiant. Quapropter his ita fruatur, ne publica interim negligat; ſemper enim publica privatis actionibus & guſtibus præferenda ſunt.

(o)

PUNCTUM XVIII.

Quomodo ſe Princeps habeat cum Vicinis.

AD rectam quoque politiæ rationem ſpectare mihi videtur, ut Princeps cum ſuis Vicinis, maximè Principibus, & iis qui alicujus potentiæ & authoritatis ſunt, bonam vicinitatem, &, ut vocant, correſpondentiam ſervet: non eos disguſtet, offendat, aut inimicos ſibi reddat, ſed ſemper in bono verſus ſe affectu, benevolentia & amore, conſervare ſtudeat.

Natal. Comes lib. 30. Hiſt. *Omnis firmitudo regnorum non ſolum in cujusque Regis viribus conſiſtit, ſed etiam in amicitiis propinquorum,*

rum, & conciliandis finitimorum Principum animis.

Si enim illi non prodeſſe, forſan obeſſe aliquando poterunt, & melius ſemper conſultiusque eſt multos amicos, quàm inimicos habere, maximè cùm alieno indigebit auxilio.

PUNCTUM XIX.

De Principis Conſtantia & Animi Fortitudine.

INſuper ſecundùm omnium auctorum opinionem maxima virtus Principis eſt *Conſtantia*, & nullâ aliâ re magis excelſi fortisque animi magnitudo ſe prodit, quàm non efferri rebus proſperis, neque abjici adverſis.

adverſis. Princeps ergò cùm favorabilis fortunæ cura afflat, cùm ad votum omnia ſuccedunt, cùm pollet opibus, potentiâ, auctoritate, & his ſimilibus, cùm omnes eum honorant & venerantur, non extollatur, non ſuperbiat, non intumeſcat: recordetur Crœſi, & aliorum ſimilium, primò felicium, ſed poſteà miſerabilium Regum: recordetur volubilis fortunæ rotæ.

Seneca in Agamemn. *O regnorum magnis fallax fortuna bonis, in præcipiti dubioque nimis excelſa locas; nunquam placidam ſceptra quietem, certumve ſui tenuére diem.*

Recordetur & ſe hominem

eſſe,

eſſe, cui idem, quod aliis contigit, contingere queat.

E contra verò, cùm fortunæ curſus fuerit mutatus, cùm adverſitatum procellæ ipſum jactaverint, non dejiciatur animo, non vileſcat, ſed maneat conſtans.

Dio. Caſſius lib. 47. *Conſentaneum eſt, neque ad ſubitas calamitates animo ita corruere, ut omnem ſpem projiciamus: neque lætis in præſentia rebus usque adeo efferri, ut curam omnem atque providentiam perdamus: ſed ſpem futuri in medio utriusque fortunæ collocatam habere, & tutò in utramque partem conſilium capere oportet.*

Et ſperet in DEUM adjutorem ſuum, ac ſuas quoque vires

vires pro poſſe adjungat, & omnia benè ſuccedent.

Saluſtius in Catilina: *Non enim votis* (ſolis) *neque ſupplicibus mulieribus auxilia Deorum parantur. Vigilando, agendo, proſperè omnia cedunt.*

PUNCTUM XX.

De Educatione Liberorum Principis.

QUod ſi Deus omnipotens Principem prole maſculina ſecundaverit, maximè ei ad bonam ejus educationem attendendum erit. Imprimis ergò liberos ſuos in pietate erga Deum, timore Domini, bonis moribus à primis incunabulis educari

educari faciat: cùm parum ætate creverint, & infantiæ annis exceſſerint, tradat eos Viro bono, timorato, bonæ conſcientiæ, docto, & in politicis verſato, qui eos virtutibus Principe dignis inſtruere, eis denique ſuo tempore præcepta politica, & ad gubernationem Reipublicæ accommodata tradere poſſit.

Joan. Mariana lib. 2. cap. 3. *Eo Inſtitutore creſcet puer iis præceptis, quibus in magnum deinde Principem evadat, par Imperio contingat authoritas; deligatur ex omnibus magiſter morum, prudentiâ conſpicuus, eruditionis opinione præſtans, iisque virtutibus, quibus alumnus Princeps informetur ad omnem probitatis partem.*

In-

Inſuper curet eos Princeps artibus liberalibus ſedulò inſtrui, quibus prudentiam ad regendam Rempublicam neceſſariam adquirant.

Idem eodem loco: *Adjungantur* (intellige filiis Principis) *Virtutum omnium incrementa*; *prudentiæ humanitatis*, *fortitudinis*, *juſtitiæ*, *litterarum & ingenii cultus adjungatur.*

Cùm ad maturiorem ætatem pervenerint, adhibebit Princeps, *primogenitum* præcipuè, ſeu natu majorem ex illis, ad negotia, atque in illis diligenter exercebit, tùm ad conſilia illum adſumendo, tùm Conſiliarios ad eum mittendo, qui de rebus ad ſtatum Reipublicæ pertinentibus cum illo diſ-

currant,

currant, tùm aliis modis, qui illi accommodatiores videbuntur, ut ſic fundamenta Reipublicæ gubernandæ addiſcere poſſit. Cúmque jam ſufficientem cognitionem negotiorum habuerit, bonum erit, ſi ipſum quoque pro *confidentisſimo Conſiliario* habeat, atque omnia negotia, ſi ita ei videbitur, cum illo conferat; à quo enim meliora & fideliora conſilia expetere poterit, quàm à proprio filio? Inſuper ubi alicui ſubditorum ſuorum gratiarum aliquam exhibere conſtituerit, Princeps faciat illud ſæpè ad interceſſionem filii: his obſervatis efficiet, ut filius ſuus à ſubditis ametur, æſtimetur, ab o-

mnibus magni fiat, & ſuo tempore Reipublicæ præeſſe poſſit.

Atque hæc ferè ſunt, quæ pacis tempore circa Principem & Rempublicam occurrebant.

PUNCTUM XXI.

De Rebus Bellicis.

NOn minus Principem foris, quàm domi, armis quàm togâ, bello quàm Pace præſtantem eſſe oportet: atque ideò hîc quoque aliquid de bellicis rebus tractandum eſſe videtur; ſed paucis, ut & ſuperiora.

Et primò quidem Princeps benè conſideret atque deliberet, antequam bellum incipiat; illud enim facilè initur, ſed non tàm facile finitur.

Siman-

Simanca lib. 9. cap. 15. *Cùm nunquam oporteat Principem præcipiti eſſe conſilio, tum haud alibi cunctantior, quàm in ſuſcipiendo bello: quòd ex bello ſimul omnium bonarum rerum naufragium oritur, omnium malarum rerum pelagus exundat: calamitoſa ſiquidem res eſt bellum, & magnum malorum agmen ſecum trahit, etiamſi juſtiſſimum ſit.*

Unde priusquam ad arma deveniat, *omnes modos honeſtos*, & qui non contra dignitatem & auctoritatem ipſius tendant, experiatur, an amicabili modo controverſia, quam cum adverſario ſuo habet, componi poſſit.

Mariana de Reg. Inſtit. lib. 3. cap. 5. *Debet quidem Princeps omnia conſilia ad Reipublicæ tranquillitatem referre, cum finitimis, cum lon-*

longinquis pacis fœdera jungere, neque arma ſumere, niſi re neceſſariâ coactus, cùm aut bellum aliunde illatum defendendùm eſt, vel atroces injuriæ vindicandæ.

Secundò videat quoque, ut *juſtitia cauſa* pro ipſo militet, ſemper enim DEUS illi parti adeſſe videtur, ubi juſta cauſa verſatur.

Cicero lib. I. Officior. *Bella non niſi juſtis de cauſis ſuſcipiantur, nec inferantur, niſi ſolenniter denunciata.*

Tertiò cogitet, ut ita incipiat bellum, ut id cum honore ad finem deducere poſſit, ad quod obtinendum præparationes eas faciat, quæ ad illud proſequendum neceſſariæ ſunt: Videat quoque, ut *bonam pecuniæ*

cuniæ ſummam in paratis habeat; ſine hac enim nihil effici poteſt; hæc nervus bellorum eſt.

Vegetius lib. 3. cap. 3. ***Antequam inchoetur bellum, de copiis expenſisque ſolicitus debet eſſe tractatus.***

Habitis ergò his requiſitis pergat in nomine Domini, & alacriter hoſtes aggrediatur, & ubi neceſſitas requiſiverit, ipſe quoque *in perſona* eat; nam præſentia ipſius Principis maximum animum militibus addit, & multùm juvat ad bellum eò feliciùs proſequendum; ſemper tamen perſonæ ſuæ benè attendat, ne ſe frivolè periculis exponat, ne pro magnanimo temerarius dicatur, & ſi forſan illi aliquod diſcrimen ac-

ciderer, totum exercitium in periculum, non dicam exitium, trahat.

Mariana lib. 3. cap. 6. *Cenſeo Principem ingruente bello debere ipſum arma induere, hoſti prodire obviam: neque tamen in caſtris tempus omne conſumere fas eſt; neque convenit periculis objicere, cujus providentiâ omnes aliæ Reipublicæ partes continentur, cujus incolumitate ſalus omnium ſtat.*

Studeat quoque, ut ſub ſe *bonos Ductores legionum*, ſeu, ut vocant, Colonellos habeat, & benè bellicis in rebus verſatos, qui non proprium commodum, ſed bonum ſolummodò publicum & Principis quærant: atque ideò non patiatur, ut pauperes ruſticos iniquè angarizent, & nimiis ex-

exactionibus ſpolient & excrucient; ipſi tantùm per fas & nefas diteſcant, alii verò ad mendicitatem reducantur.

Videat etiam ut à militibus ametur atque timeatur: quos in bona diſciplina bellica continebit, & furta, latrocinia, ſacrilegia, ſtupra, incendia, atque his ſimilia ſcelera, ex caſtris ſuis, quantum pro tempore fieri poteſt, ableget atque omnino proſcribat.

Simanca. *Naturâ omnes diſciplinam ægre ferimus, ac libertatem disſolutè vivendi appetimus, ſed maximè milites, qui ſæpius animum ad militiam adjungunt, ea ſpe confiſi, quod omnia in hoc vitæ genere licitè atque impunè agantur. Ad officium autem Ducum imprimis pertinet, ut eos in offi-*

cio contineant, ac ſeverè puniant.

Et ad hoc tantò faciliùs conſequendum neceſſe eſt, ut certis & ſtatutis temporibus *ſtipendia ſua* militibus exſolvantur, ne ex defectu ſolutionis ipſi rapere & latrocinari cogantur: & ſic quoque poſteà meliorem & majorem occaſionem habebit in transgreſſores hujusmodi animadvertendi.

Idem: *Providendum quoque eſt, ut ad certam diem ſtipendia ſolvantur, quod ſi pecuniæ non fuerint in promptu, moram ſolutionis ſe dolere atque ægrè ferre Præfecti demonſtrent, ac dent ſimùl operam, ut quam primùm ſolutio fiat; atque interim bonam ſpem illis faciant, omnemque humanitatem præſtent, ne ſalutionis mora ſeditionem excitet.*

Cùm

Cùm verò in bello plurimum poſſit celeritas, ideò in conſiliis capiendis celer, & in illis exequendis multò adhuc celerior eſſe debebit: & licèt aliquod fortè infortunium illi acciderit, non tamen ſe omninò perdat, ſed maneat conſtans, ac ſibi præſens, ſtudeatque collapſa reſtaurare, & benè res agetur. Partâ Victoriâ, proſequenda ea eſt, & nullo modo quieſcendum, ne hoſti facultas detur, vires interim reſumendi, & majus exinde negotium faceſſendi.

Inſuper ad hoc quoque maximè attendendum, ut caſtra, civitates & fortalitia ſua, *commeatu neceſſario* ſemper inſtru-

ćta & proviſa ſiat, atque ideò bonum erit, ſi habeat aliqua granaria publica, quæ pacis tempore (ſicut & ipſas civitates & fortalitia ſua) ita inſtruat, ut nullus poſteà tempore belli defectus appareat.

Vegetius: *Qui frumentum neceſſariumque commeatum non præparat, vincitur ſine ferro. Reliquis caſibus poteſt in tempore ſubveniri: pabulatio & annona in neceſſitate non habent remedium, niſi ante recondita.*

Si verò Princeps ipſe in perſona, ut ajunt, ad bellum non iverit, invigilandum tamen & procurandum ipſi nihilominus erit, ut omnes illas diſpoſitiones, præventiones, atque compendia, de quibus modò

dò diximus, habeat; & præ omnibus prævideat ſibi de viro aliquo egregio tàm pacis quàm belli artibus inſigni ac claro, cui exercitum fidere, ac ſummam gerendi belli tutò demandare poſſit.

Cicero pro lege Manil. *Non enim ſolùm bellandi virtus in ſummo atque perfectoImperatore quærenda eſt: ſed multæ ſunt partes eximiæ, hujus adminiſtræ comitesque virtutis. Quantâ innocentiâ debent eſſe Imperatores! quantâ omnibus in rebus temperantiâ? quantâ fide! quantâ facilitate! quantâ humanitate?*

Non tamen *liberam* omnino & abſolutam tali poteſtatem det, ut ſine ſuo ſcitu is alia quæque, & quæ ſummi & abſoluti

luti Imperii ſunt, agere, & pro libitu ſuo omnes vexare, ſpoliare & opprimere audeat & poſſit: Sed ipſe Princeps maneat Generalis: multo minùs eò usque potentiæ & præſumptionis aſcendere illum patiatur, ut illi imperare nequeat, ſed timere potiùs eum debeat.

Multa quidem hac in materia adhuc tractanda forent, ſed brevitatis ſtudiô illa præterimus, & quæ ipſi Principi facilè in praxi tam pacis, quàm belli tempore occurrent.

Videat ſolummodò, ut hæc pauca, quæ dicta & allata fuerunt, benè adimpleat; Reli-

qua

qua pro ſtatu rerum & temporum, & ſecundùm propriam, & Conſiliariorum ſuorum prudentiam dirigat, Amen.

FINIS.

Ad majorem DEI Beatiſſimæque Virginis gloriam.



Index

INDEX
Rerum Præcipuarum, ſecundùm Paginas.

A.

Accumulationi negotiorum quomodo præcaveatur 56
Aditus adPrincipem in publicum prodeuntem 64
Adminiſtratio bonorum Principis. 22
Rerum pravis non committenda 31
Adminiſtrationum viſitatores ſecreti 33
Adverſis rebus abjici Principem non decet 75 89
Adverſarii non ſtatim bello tentandi 85
alacriter demum aggrediendi 85
Adulatores in aulis multi 52
Ab his fugiendum Principi, velut à peſte 54
Adulteria præcipuè cohibenda 40
Ærarium, v. Pecunia.
Ætatis maturitas in Conſiliariis requiſita 12
Affabilitas Principis 26.27.28
Affectus v. Paſſiones.
Alacritas Principis 77. ſq.
Amicabilis compoſitio primum tentanda 83

Amici-

Amicitia Principis & vicinorum 74
Amor Principis ne ſit emolliens 20
ut in ſubditis conciliandus 26
ſit timori junctus 28
ſubditorum ut concilietur filio Principis 81
in intimum Miniſtrum qualis 41
(v. charitas)
Angarizari à militibus pauperes ruſticos iniquum 86
Animi fortitudo & Magnitudo in Principe 75
Annona proſpiciendum maturè in fortalitiis 90
Annulus Curſiò ad annulum 72
Apparatus bellicus Principis 84
Arcana v. ſecreta.
Arduarum rerum tractatio 61
Arma, v. bellum.
Arrogantia, v. ſuperbia.
Artes liberales, v. Eruditio.
Aſpectus Principis benignus 38
Aſperitas cum lenitate miſcenda 20
Avaritia omnium mater malorum 36
Auctoritas Principis 26
Eam ſartam tectam conſervet 39
Propter eam non intumeſcat 76
Audientiam nemini Princeps deneget 62
Statuta audentiis per ſingulos dies hora 63
Auxilium divinum quomodo paretur 78

B. *Bellum*

B.

Bellum ob ſcelera non caſtigata 40
quomodo à Principe ſuſcipiendum 82
Bellorum calamitas 83
Nervus pecunia 85
Celeritas in bello multùm prodeſt 89
Benefacere proprium Principis 24
(v. liberalitas, dona &c.)
Benevolentia ſubditorum quomodo conciliànda 26
Benignitas Principis ſit moderata 20. commendatur 27
Blaſphemia gravibus pœnis cohibendæ 40
militum coërcendæ 87
Bona, v. proſperæ res
Bonorum Principis adminiſtratio 22 (v. opes)

C.

Calamitas, v. adverſa.
Camera inſtitutio & ejus Præſes 21
Cancellaria nimiis exactionibus ſubditos ne gravet 51
Ex cancellaria ad ſubſcribendum Principi exhibita 65
Caſtrorum diſciplina militaris 87
Commeatus 89 (v. militia)
Caſus omnis in conſultationibus bene ponderandus 59
Catholica Religio à Principe promovenda 7
Clades non dejiciat animum Principis 89

Claſſi-

Claſſium ratio à Principe ineunda 22
Celeritas expeditionum 56.60
in bello prodeſt 89
Charitas requiſitum Conſiliariorum 12
(v. amor)
Civium catalogum Princeps habeat 22
Civitas, v. urbs.
Clementia Principis 18.24.28
ſit moderata 19 (vid. liberalitas, gratia.)
Colloquia blanda Principis 75
Colonelli, v. Dux.
Comitas Principi commendata 20
Commeatus caſtrenſis &c. 89
Commoditas propria à populi utilitate non ſecernenda 27 (v. utilitas)
Comœdiarum licita frequentatio à Principe 72
Conſcientia bona Conſiliariorum 11
Conſilia. Quomodo Princeps ſe in eis habere debeat 30. ſq.
quomodo juniores ad majora conſilia habilitandi 32
Conſiliorum viſitatores ſecretiores 33
Eadem Princeps diligenter frequentet 55
Ad omnem caſum de præſenti & futuro dirigenda 59
certa dies & hora illis præfinienda 60
In bello celeriter capienda 89
(v. conſultatio, Reſolutio, Secreta.)
Conſiliarii à Principe cur eligendi 10. ſq.

Eorum requiſita; timor Dei 11. matura ætas, eruditio, taciturnitas &c. 12.70
Sint incorrupti, non opinioniſtæ 13
non ſint Machiavelliſtæ 12
Principis diligentia in eorum electione 13
Eorum numerus 14
Juramentum 17
Inquiſitio Principis in illorum dexteritatem 32
fidiſſimus, Principis Primogenitus 81
Conſtantia Principis 15
Conſultationum methodus & ratio 57
Conſultata in effectum maturè deducenda 67. (v. Conſilia, Reſolutio, Sententia)
Contributiones, v. exactiones
Controverſia ne ſtatim ad arma provocet 83
Copia Principis 85
Correſpondentia cum vicinis 74
Corruptela cauſa inopia 35
in republica prohibenda 35
fons & origo omnium malorum 36. (v. dona, munera, &c.)
Crapula, v. ebrietas
Cultus divinus à Principe promovendus 6. ſq.
Cumulationi negotiorum quomodò præcaveatur 56
Cunctationibus quomodo obviam eatur 56 60
Curiarum viſitatores ſecretiores 33
ex curia ad ſubſcribendum Principi exhibita 65

D.

Debita prius exſolvenda Principi, quàm munera largiatur. 24.ſq.
Decreta in conſilio Princeps bene ruminet 56
Definitionum ratio 57
Delectationes Principibus dignæ 71.ſq.
Deliberationibus ſpatium dandum 59
Delinquentibus parcere debet Princeps 24
Deſperatio abſit à Principe 77
Deus. Quomodo cum Deo Princeps ſe gerere debeat 3
Dicere, v. loqui.
Dignitas, v. honor.
Dilationes noxiæ 57.60
Dilectio, v. charitas, amor.
Diſciplina bellica ſalutaris 87
Divitiæ, v. opes, pecunia.
Doctus debet eſſe Conſiliarius 12
Docti viri quomodo ex junioribus efficiendi 32
Dona ne ipſi quidem Eccleſiæ dentur à Principe ante debitorum ſolutionem 25
In donorum acceptores Princeps ſeveriſſimè inquirito 38
Donorum datio & acceptio quomodo pelli-lietur 38. (v. corruptela, largitiones, munera, opes)
Duella gravibus pœnis cohibenda 40
Dux militiæ ſuæ ſit ipſe Princeps 85

ſed frivolè ſe non exponat 85
Si ipſe Princeps ad bellum non ierit, alium idoneum Imperatorem ſubſtituat; ejus virtutes 90. 91
Summa & abſoluta tamen poteſtas penes Principem maneat 91
quales duces eligendi 86
Stipendia rectè ſolvant militibus 88

E.

Ebrietas militum indecens 87
Eccleſiæ nil det Princeps ante ſolutionem debitorum 25
Educatio juniorum ad majora officia 32
liberorum Principis 78
Equeſtria ſtudia Principum 72
Eruditio Conſiliariorum 12. juniorum Principum 80 (v. doctus)
Exactiones ſint moderatæ 49
militares pauperum ruſticorum iniquæ 86
Examen Principis, dexteritatem miniſtrorum explorantis 32
Excruciationes, v. exactiones.
Exercitus, v. militia.
Expeditiones ſubitæ negotiorum 60, ob præſentiam Principis 56
earum ſubſcriptio à Principe 65
Experientia requiſitum Conſiliarii 12
Extorſiones militares, v. Exactiones.

F. Fa-

F.

Facinora auget nimia clementia 19
(v. vitia)
Fæminæ, v. mulieres.
Fames obſcelera non punita 40
commeatus publicus contra famem in fortalitiis 90
Felicitas, v. proſperæ res.
Fidelium remuneratio 45
Fides Conſiliariorum 14
Secretariorum 17
Filii, v. liberi.
Flagitia, v. facinora, vitia, ſcelera.
Fortalitiorum commeatus 89
Fortitudo animi Principis 75
Fortuna nec extollat Principem, nec deprimat 76
Ejus rota volubilis 76
(v. Proſperæ res, adverſa)
Frumenti apparatus in urbibus 90
Functiones. Ad majores quomodo paulatim juniores aſuefaciendi 32
Inquiſitio Principis in dexteritatem miniſtrorum functionibus præpoſitorum 32
Furta cohibenda 40
militum punienda 87
Futura in conſultationem vocare præſtat 59

G.

Garrulitas abſit à Conſiliar. 12. ſq. à Secretario exulet 17. (v. Secreta, Silentium &c.)
Gazophylacium Principis 85
Generalis, v. dux
Gloria, v. honor.
Granaria publica 90
Gratia Principis ſit moderata 19. 44. ſq.
Gratiarum collatio ad interceſſionem filii Principis 81
(v. liberalitas &c.)
Gravitas Principis 26. ſit miſta affabilitati 28
Gubernare, Principis munus 10. (v. Imperare.)
Gubernatio provinciæ non perpetuò miniſtris conferenda 46
nec uni tantum 47
Gubernationi Reipublicæ aſſuefaciendi liberi Princip. 79
Gubernatorum viſitatores ſecreti 33

H.

Hæreſes. Principis officium circa eas eliminandas 7
Haſtiludia Principe digna 72
Homicidia gravibus pœnis cohibenda 40
(v. latrocinia.)
Honeſtatis ornamentis afficienda Reſp. 41
Honor. Miniſtrum Princeps honoribus nimium ne extollito 44
Propterea Princeps non intumeſcat 76

Hoſtes,

Hoſtes, v. Adverſarii.
Humilitati ſtudeat Princeps 76
I.
Jaculationes Principum 72
Igroſcere qt. Princeps debeat 19
Imperandi ratio, non pluribus, ſed uni reddenda 16
eique nec perpetuò 46
Imperator bellicus, v. Dux militiæ.
Incendia proſcribantur ex caſtris 87
Incola, v. Civis, Subditus.
Informatio liberorum Principis 79
Infortunium, v. adverſa, Fortuna.
Iniquitatis fibræ evellendæ 41
Injuria radicitus extirpandæ in Rep. 61
Inopia, v. Paupertas.
Inquiſitio Principis in dexteritatem miniſtrorum 32
Inſtitutio, v. Informatio.
Interceſſiones filii facile admittat Princeps in conferendis gratiis 81
Intimus Principis 41
Judices corrupti puniendi 36
Judicia, quomodo circa ea ſe habere debeat Princeps 30. ſecreti judiciorum viſitatores 33. (v. Juſtitia.)
Jura, Eorum bene gnarus ſit Conſiliarius 12 v. Juſtitia.
Juramentum fidelitatis & ſecreti Conſiliariorum & Secretariorum 17

Juſtæ cauſæ aſſiſtit Deus 84
Juſtitiam Princeps ſtrictè & exactè obſervet 18
Et miniſtris ſuis commendet 33
Paupertate preſſi eam facile violant 35
Violantes hanc graviſſimè puniti 36
Protractioni ejus quomodo medendum 57
(v. Judicia.)
Juventus quomodo ad majora officia paulatim aſſuefacienda 32

L.

Laborum fuga noxia 57
Læta, v. Proſperæ res.
Largitionum ratio à Principe habenda 22.
(v. corruptela, dona, munera, opes)
Latrociniis militum non indulgeat Princeps 87. (v. homicidia)
Lectio literarum à Principe 62
Ejus adjutor Conſiliarius in copia nimia 66
Legatorum audientia 63
Legum obſervantia 66
Legionum duces, v. duces, militia.
Lenitas cum ſeveritate miſcenda 20
Libellus redituum Principis 22. (vid. Supplicationes)
Liberalitas Principis 18. 21. 24. (vid. gratia, opes)
Liberorum Principis educatio 78
Quomodo ſubditorum amor iis conciliandus 81

Libertas loquendi Conſiliariorum 12.14
diſſolutè vivendi maximè appetitur 87
Libidines reſecandæ 41
Lingua liberà Conſiliariorum 12
Literarum lectio à Principe 62
ſubita expeditio 65
ſubſcriptio 65
quid ſi ob multitudinem à ſolo Principe perlegi non poſſint 66
Earum expeditiones in Cancellaria, ne ſint ſumptuoſæ nimis 51
Literatura, v. Eruditio.
Literatus debet eſſe Conſiliarius 12
Lites, v. Controverſia.
Loqui liberè debet Conſiliarius 12.14
Ludi Principem decentes 72
Luſus exceſſivi minimè indulgendi 40
Luxuria præcipuè extirpanda 40

M.

Macchiavelliſmum Conſiliarius fugito 12
Magiſter morum juniorum Principum 79
Magiſtratus non conferendus Miniſtro perpetuò 46
Magnanimitas Principis 18
Magnates, v. Proceres.
Majeſtas cum comitate jungenda 27.28
Maledicendi ſtudium, v. blaſphemiæ.
Malorum in Rep. cauſæ 40. ſq. (vid. adverſa.)
Malum ſi non punitur, bonum opprimitur 20
Mandata Principis in effectum deducenda 66

Mechanicæ artis exercitium Principe dignum 73
Mediocritatis laus 45
Meretrices proſcribendæ ex caſtris 87
Meritorum remuneratio 45
Militum extorſiones iniquæ 86
Amor & timor in Principem 87
illi puniantur ob ſcelera 87
ſtipendia illis rectè ſolvantur 88
Militia Principis 85
Eam ipſe ducat in campum 85. (v. dux.)
Miniſterium, v. Munus.
Miniſtri. Inquiſitio Principis in eorum dexteritatem 32
Per eos ſæpe Princeps plus peccat, quàm per ſe ipſum 33
Eorum viſitatores à Principe ſubmiſſi 33
Iſtorum placendi ſtudium 53
Intimus miniſter Principis 41. (v. officialis)
Monitorum tria requiſita 12
Morum Probitas in liberis Principum 78
Mulieribus non licet ſcire publ. negotia aut ſe iis immiſcere 70
Muneri ut ſatisfaciant miniſtri, Princeps proſpiciat 32. ſq. v. officia.
Muneribus ſe corrumpi non patiatur Conſiliarius 15
nec Secretarius 17
omnes corrumpi poſſunt munerib. 34

fine

ſine violatione juſtitiæ non accipiuntur 37. (v. Corruptela, dona, largitiones, opes)
Munificentia Principum moderata 20.24
Nulli ſit damnoſa 25. (v. gratia, liberalitas, munera, opes)
Muſica, Principi conveniens recreatio 73

N.

Neceſſitatum ratio à Principe ineunda 22
Negligentia damnum 56
Negotia. In arduis negotiis Princeps ad Deum recurrat 6
in negotiis Conſiliarius bene ſit expertus 12
quomodo ad negotia publica juvenes paulatim aptiores reddendi 32
negotiorum ſubita expeditio 56,60 eorum accumulationi ut medendum 56
Nobiles ſubditos ne nimium gravent 49
Numerus Conſiliariorum 14

O.

Obedientia Principi præſtanda 67
Obſervantia legum & mandatorum Principis 66
Oculi plus vident, quàm oculus 15
Odium exulet à Principe 19
Oeconomia Principis 21
Officia præcipua, quæ aliquid regiminis ſecum ferunt, non perpetuò uni conferenda, ſed certis annis & temporibus mutanda 46

Publica

Publica quibus concedenda 30
quomodo juventus ad ea paulatim præparanda 32. (v. Munera)
Officiales Principum 23
Inquiſitio in eorum dexteritatem 52
non nimis evehendi 44. (v. Miniſtri)
Onera ſubditis non imponenda præter neceſſitatem 49 ſq.
Tantum oneris imponatur, quantum ferre poſſunt ſubditi 50
Opes. Bonorum & opum in ſubditos collatio prudenter fiat 44
non omnes in unum conferendæ 45
Propter opes Princeps ne intumeſcat 76
(v. bona, munera, etc.)
Opes publicæ à Principe conſignandæ 22
Opificibus quod debetur, aliis non donandum 25
Opificium, v. mechanica ars.
Opinio quæ Principi eligenda inter plures 16
Opinioniſta ne ſit Conſiliarius 13
Oppreſſionibus ſubditorum Princeps reſiſtat 49. ſq.
Orphanis quod debetur, aliis ne donetur 25
Eos ne patiatur Princeps opprimi 33
Os liberum Conſiliariorum 12
Otium fugiat Princeps 10

P.

Pabuli annona in fortalitiis 90
Parcere non decet plusquàm expedit 20

Prin-

Principi proprium 24
Parrheſia Conſiliariorum 12.14
Paſſionibus ne ſuccumbat Conſiliarius 12
Nec Princeps 19
Pauperibus quod debetur, aliis non donandũ 25
Quos opprimi Princeps ne patiatur 33
Eorum aditus ad Principem in publicum prodeuntem 64
Pauperum exactiones à militibus iniquæ 86
Paupertas Miniſtros pronos facit ad violationem juſtitiæ 35
Pax. Ei ante omnia ſtudendũ a Principe 83. ſq.
Pecunia parata Principis 23
Pecuniæ theſauri proſunt Principi, bellorumque nervus ſunt 85
Penu publicum 90
Perſonarum reſpectus, v. reſpectus.
Peſtis cauſa ſcelera non caſtigata 40
Petulantia coërcenda 41
Philippus ab anu appellatus, nec audiens, reprehenditur 62
Pietatis ſtudium ejusque in eccleſia & ubique promotio Principem decet 8.18. Pietas ne parcat plus quàm expedit. 20
In conſiliario requiritur 11
liberorum Principis 78
Pigritiæ damnum 56
Placendi ſtudium in aulis 52
Pluralitas Conſiliariorum obeſt 14
Princeps pluralitati non ſemper ſe accommodet 16

Pœnas

R.

Rapina, v. ſpolia.
Rationes ipſe Princeps inſpiciat 22
Recreationes Principis 71
Redituum curam habeat Princeps 21.22
Referentes fideles in curiis Principum 66
Refocillationes Principibus conceſſæ 71.ſqq.
Regere, Principis munus 10
(v. imperare.)
Regimen provinciæ non conferendum uni perpetuò 46
Regiminis in ingreſſu à Deo incipiendum 4
Regnorum ratio à Principe ineunda 22. ſalus periclitatur, ſi vitia non caſtigentur 40
(v. Reſpublica.)
Reipublicæ tranquillitas curæ ſit ante omnia Principi 83
Relatio, v. Referentes.
Religionis cura Principi commendata 6.ſqq.
Religioſitas Conſiliariorum 11.14
Rerum reſpectus, v. Reſpectus.
Rerum uſu polleat Conſiliarius 12
Reſolutio Principis in pluralitate votorum 16
Reſolutionem Principis facilitans ratio 58. ſqq. reſolutionis celerior expeditio 61
Reſolutiones Principis in effectum deducendæ 66. maneant in ſecreto 68
(v. conſilia.)
Reſpectus perſonarum aut rerum non ſit apud Conſiliarium 12

nec apud Principem 19 aut judicem 37
Reſpublica, v. Regnum.
Rex, ejus officium 40
Rigor Principis moderatus 20
Ruſticorum exactiones iniquæ à militibus. 86

S.

Sacrilegia ex caſtris proſcribenda 87
Sævitia non decet Principem 20
Salaria miniſtris ſemper & diligenter exſolvenda 34
(v. ſtipendia)
Saluti populi Princeps ante omnia ſtudeat 10. 26.
Sanctiones Principum in effectum deducendæ 67
Sapientia Conſiliariorum 14
Scelera ex caſtris proſcribenda 87
(v. facinora, vitia)
Scloporum jaculatio à Principe facta 72
Scortum, v. meretrix
Secreta maneant conſilia 68 ne pandat conſiliarius 13 ejus juramentum ſecreti 17 paucis communicanda 14 ſecreti conſilii Director ipſe ſit Princeps 16 (v. taciturnitas, conſilia, reſolutio.)
Secretarii Principum, & horum requiſita 17

juramentum fidelitatis & ſecreti præſtatio 17
Secunda res, v. Proſperæ res.
Seditionum fomes intempeſtiva clementia 19
Sententiæ propriæ ne inhæreat tenaciter Conſiliarius 13 meliori Princeps inſiſtat 16
Sententiarum ſubita expeditio 56 (v. conſultatio, publicatio)
Severitas cum lenitate moderanda 20
Silentium, v. Taciturnitas.
Siſamnes corruptus judex graviter punitus 36
Sociorum catalogum Princeps habeto 22
Socordiæ damnum in expeditionibus 56. 57
Solertia Principis 77. ſq.
Spes non abjicienda in adverſis 77
Spiritualium cura Principi cordi ſit 8
Spolia militum iniqua 87
Status rerum inter deliberandum benè ponderandus 59
Stipendia recte ſolvenda militibus; quid? ſi non 88
Stupra militibus interdicenda 87
Subditorum ſalus prima lex Principis 10. 26. animos quomodo Princeps ſibi devinciat 26. illi non nimium gravandi 49 Princeps, ut pater, non ut tyrannus, erga eos ſe gerat 52 aditus ad Principem 64 (v. Civis)

Sub-

Subſcriptio Literarum per Principem 62. 65
Subſidia moderate exigenda à ſubditis 49. ſeqq.
Succeſſus ex voto Principem non extollat 76
Sumptuum ſuorum diſpenſationem habeat Princeps 21
Superbia abſit à Principe 76
Supplicationes, v. preces.
Supplicationum ſubita expeditio 56 lectio, ſubſcriptio, inſinuatio, &c. 62. ſqq. earum abundantia, ut à ſolo Principe perlegi non poſſint 66

T.

Taciturnitas, requiſitum Conſiliarii 12. ſqq. in magno numero vix obſervatur 15 ei Secretarii ſtudeant 17 (v. *Secreta, garrulitas*.)
Taxa cancellariæ moderata 51
Teloniorum adminiſtratio 22
Temporis momenta bene obſervanda 60
Terribilem quouſque deceat eſſe Principem 20
Theſauri Principis 23. 85
Timor Dei liberis Principum implantandus 78 in conſiliariis requiſitus 11 Subditorum amori conjunctus 28

Tondendæ oves, non deglubendæ 51
Torturæ militares, v. exactiones.
Tranquillitas, v. Pax.
Transactiones tardiores noxiæ 57
Transgreſſores legum, &c. puniendi 67
Tribunalium viſitatores ſecretiores 33
Tributorum ratio à Principe ineunda 22
illa ſint moderata 40. non niſi neceſſitatis tempore imperentur 49 (v. exactiones.)
Triſtitia, v. adverſa.
Tumultus, v. Seditio.
Tyrannis abſit à Principe. 20

V.

Vectigalium ratio à Principe habenda 22
Venationes Principum moderatæ 72
Veneratio, v. Honor.
Verba benigna Principis 28
Vexationes nimiæ ſubditorum non proſunt 57
Vicini; quomodo Princeps cum vicinis ſe habere debeat 74
Victoriâ quomodo rectè utendum 89
Viduis quod debetur, aliis ne donet Princeps 25. illæ non opprimendæ 33
Vigilantia Principis 10. 78
Vires adjungendæ ſpei in Deum 77. ſq.

Viro-

Virorum prudentium penuriæ quomodo medendum 31. 34
Virtus Conſiliarii 14 Virtutum incrementa in liberis Principis 80
Virtutum omnium præſidiis firmanda Reſpublica. 41
Viſitatio, v. Examen.
Viſitatores Curiarum ſecreti 53
Vitia reſecanda & extirpanda à Principe 9. 39 præcipue quæ maximè in uſu 39 ob ea non caſtigata Reſpublica punitur à Deo 40 (v. Scelera.)
Uni imperandi ratio reddenda 16
Vota, v. Preces.
Votorum libertas ſit Conſiliario indulta 12 numerus vota dicentium 14 votorum collectio ipſi Principi commendata 16 officium ejus in pluralitate & differentia votorum 16 vota promdte data 59
Urbium commeatus 89
Uſuræ nimiæ minimè concedendæ 40
Utilitati populi ante omnia ſtudendum 26 utilitati propriæ plurimi miniſtrorum ſtudent 52. (v. commoditas.)

Z

Zelus Principis moderatus 20

F I N I S.